



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Sanctissimo Christi Iesu Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine

Coloniae Agrippinae, 1620

Quanta esse debeat perfectio æstimatiua amoris Christi Domini. cap. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)

QVANTA ESSE DEBEAT PERFECTIO æstimatoria amoris Christi Domini.

CAPVT X.

HOc enim bonum glorie Christo Domino velle nos par est perfectissimo amore: est autem duplex amoris perfectio. Vna accidentalis est, quæ in vehementia & intentione amoris. Altera est substantialis, quæ in pretio & estimatione rei amate consistit, nimirum, quando id quod amamus pluris quam quidlibet aliud æstimamus; & bonum quo dignum est, & quod illi volumus pluris facimus quam quoduis aliud bonum; adeo vt quoduis bonum nostrum perdere, quam vel minimum

*Amor
æstimatorius.*

bonum

bonū eius diminui præoptemus. Quare hæc perfectio includit comparationem tam inter bonitatem rei amatae & aliarum rerum, quam inter bonum quod illi volumus, & cetera bona omnia necessariò includit, & quidem cum Christus Dominus verus Deus sit, infinita eius bonitas, infinita quodammodo estimatione & amore digna est; quæ non modo non ex unione cum natura humana, & assumptione nostræ infirmitatis & vilitatis, miseriarūq; , ac tandē mortis perpeffione minuitur, sed cōtra valde splēdescit, vt inde nobis quodāmodo pretiosior efficiatur, sic. n. cōmēdat nobis

*æstima
tio boni
tatis Dei
in Chrō.
stoma
ior.*

Rom. 5.

charitatem suam Deus, quia cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est. Est certè quod Patris dignitatem magni faciat filius, vel inde solum quia pater est, sed tamen longè pluris æstimare illam debet, si occasione sui periculi, parentem omnibus abiectis, paupertatem ferre & exilium & labores, doloresq; innumeros, & infamiã, mortem deniq; subire videat. Latet in diuino pectore, & in profunda essentiæ eius abyssu bonitatis eius immensitas, & diuitiæ, thesaurique, atque viscera misericordiæ, pietatis, benignitatis; nec adhuc poterat homo extot Dei operi-

Rom. 8.
Psal. 5.

bus

bus ad illam satis æstimandā,
& amandam penetrare. Ergo
Deus vt illam quanti æstimet
ostenderet, filium suum misit
in mundum, factaq; compa-
ratione inter vtilitatem natu-
ræ nostræ, labores doloresq;,
opprobria extrema, & con-
temptū maiori bonitatis suæ
gloria illum ipsum filium suū,
atque adeo illam ipsam suam
bonitatem, stupendo confi-
lio coniunxit pannis, pauper-
tati, laboribus, ærumnis, do-
loribus, fami, siti, defatigatio-
ni, contumelijs, opprobrijs,
morti denique & cruci, nec
coniunxit tantū, sed etiam
subiecit, non vt vilesceret no-
bis pretium eius, sed contra,

D 5 quæ

quæ prius erat inæstimabilis
eius bonitas, his aucta & per-
specta iniurijs pretiosioreua-
deret, vt quanti eam æstimare
debeamus palam fieret. Nam
hinc facilè intelligim⁹; in quo
hæc æstimatio summa amoris
quem Deo debemus cōsistat,
nimirum vt nihil omnino illi
præponamus, non diuitias,
non famam, non vitam ipsam
cum Christus Dominus ea o-
nia suæ infinitæ bonitatis glo-
riæ nostro amori, & salutis post-
posuerit, & illustræ bonitatis
suæ diuinæ signū in tanta no-
stra vtilitate & malis erexerit,
in quod amoris nostri sagit-
tas, toto impetu, toto conatu,
tota æstimatione conijcere.

mus,

mus, vt quantum fieri potest
tantæ bonitati, æstimatio no-
stra apte respondeat.

VNDE PENDEAT PERFECTIO
æstimatoria, & duplex eius
modus?

CAPVT XL.

Pendet tota hæc perfectio
ex apprehensione rei ama-
tæ, ea enim mutata mutatur
necessariò æstimatio, ac pro-
inde hæc substantialis perfe-
ctio: Quare vix credi potest
quã necessaria sit cognitio Dei
& Christi, rerumq; diuinarũ,
vt dignam de ijs æstimationẽ
concipere, & ita perfectè ama-
re possimus, vt conuenit, &
quia in varijs varia est tum co-
gnitio Christi, tum æstimatio,

D 6 ideo